

propius: Quia sanguis ipse, scilicet, est, *per animam* expiabit. Sanguis expiat, quia à Deo datus est super altari ad expiandum, sed expiat per animam, de qua idè dictum est, animam carnis esse in sanguine.

§. XVII. Res ergo eò delabitur, quem sensum habeat, quod in Hebræo dicitur, **בנפח**, quod est, *IN ANIMA*. An sit intelligenda anima offerentis expianda, an verò anima carnis expians? Hic verò consulendus usus est Scripturæ sacræ. Concordantiæ Hebraicæ illum ostendunt ad oculum. Objectum expiandum cum verbo **כפר** vel nudè conjungitur in Casu Accusativo, vel mediante Accusativi Nota, Particula **את**, vel intercedente Præpositione **ב** quæ satis frequens est, vel interjecta Præpositione **ל**. Et hæc, uti supra dictum, frequentissimè usurpata Constructio est.

§. XIX. Contrà verò, quando vel Nomen, vel Pronomen, construitur cum verbo **כפר** intercedente particula *Beth* semper significabit *Medium expians*, in Locis quidem istis, quos ex Concordantiis allego. Jacobus de Esavo, Genes. XXXII, 20. *Placabo* (expiabo, per expiationem peccati, quo Esavus me in eum peccavisse existimat, ob quod vehementer mihi iratus fuit, ut mortem fuerit minatus, ex commoto reddam quietum, ex irato & sævituro, faciam placatum & parcentem) *facies ejus במנחה munere* (Hebr. *IN MUNERE*) *eunte ante me*. Vulgat. *Placabo illum muneribus quæ præcedunt*. Pagnin. *munere, quod me antecedit*. Munus illud, medium fuit expians, placans, non objectum expiandum, placandum. Exod. XXIX, 32. *Comedetq; aharon, & filij ejus, carnem arietis, & panem in corbe, ad ostium tentoriij conventus*. Vers. 33. *Comedent enim ea אשר כפר בהם* quibus expiatio facta &c. Græc. *ἐν οἷς ἡγιασμένων ἐν ἑωσέως*. Uti in priore Geneseos loco, *ἐν τοῖς δώποις*. De Medio Expiationis, de re expiante, sine dubio locus conceptus est. Levit. VII, 7. *Quale enim Peccatum (Sacrificium pro Peccato) talis etiam Reatus (Sacrificium pro reatu) unde una Lex illis. Sacerdotis, qui expiabit PER ILLUD*, (Hebr. **ב** *IN EO*) *erit illud*. Ita Schmidius. Græc. *ἐν αὐτῷ*. Num. V, 8 hic locus meretur notari, qui utramque Præpositionem, & **ב** & **ל** cum Verbo **כפר** habet constructam, cum hac manifesta significationum differentia, ut **ב** indicet *Medium expians*, hostiam expiantem,

B

tem,